

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dispvtatio De Antichristo

**Andreä, Jacob
Hermann, Christoph**

Tubingae, 1572

[urn:nbn:de:bsz:31-128906](#)



60A 2690 R

Sum
M. Caroli.

DISPV TATIO
DE ANTICHRISTO:

DE QVA,

DE O V E R O
ET TRINO, CREA-
TORE, REDEMPTORE ET ILLV
stratore humani generis iuuante: Præside reuerendo, & Cla-
risimo viro, D. IACOBO ANDREAE, Do-
clore Theologo, Tubingensis Ecclesie Præposito, & Acade-
mia Cancellario dignissimo, Præceptore & Patrono suo perpe-
tua obseruantia colendo: M. CHRISTOPHORVS

HERMANNVS, Kirchemius, Ecclesie Eselin-
gensis Pastor, 17. Septemb. hora 6. in Aula
nova, pro parte virili respon-
debit.



T V B I N G AE,
M. D. LXXII.

21

DISPUTATIO DE ANTICHRISTO.

QVÆSTIO.



V M de Antichristo varie opiniones in Ecclesia extiterint: (à quo vt omnes vere p̄ij sibi caueant, Christus & Apostoli eius diligenter monuerunt) quis nam sit opes ræprecium est inquirere.

PROPOSITIO 1.

Nam et si nomen Antichristi , omnibus competit, qui Christi doctrinæ aduersantur : de quibus Ioan. in sua Canonica: Filioli nouissimum tempus est, & sicu^{ee} 1. Iohann. 2^o. ti audiuistis , quod Antichristus venturus sit, & Antis^{ee} christi multi cæperunt esse, vnde scimus nouissimum ee tempus esse:

2.

Peculiarem tamen, eumq; insignem Christi aduersarium , in quo omnes impieratis & abominationis fordes confluxerunt , cui etiam Antichristi nomen propriissimè competit, D. Paulum designare voluisse, dubium non est, dum scribit: Quoniam non adueniet ee 2. Thes. 2^o. Dominus, nisi venerit defectio prius, & reuelatus fuerit homo ille scelerosus , filius perditionis , qui est ad^{ee} uersarius , & effertur super omne, quod dicitur Deus ee & Numen : adeoq; vt in Templo Dei se deat, ostensans se ipsum esse Deum.

A 2 Quam^{ee}

3.

Quamvis autem multæ sint notæ, quibus à Christo & Apostolis, hic insignis Antichristus descriptus est: præcipuas tamen in Regni ipsius prodigijs & signis mendacibus cōsistere existimamus: quod alias aliquo modo, cum reliquis falsis Doctoribus communib⁹ Antrichristis, communes habeat.

4.

In primis vero falsum est, quod de vna persona ha-
ctenus quidam fabulati sunt sacrarum literarum im-
Gen. 49. periti: qui ex trib⁹ D A N, tanquam colubex in vi⁹,
& vt cerastes in semita exoriturus sit.

5.

Etenim post dissipationem populi Iudaici, à Pro-
phetis prædictam, ad Regnum eiusmodi nunquam
aspirabunt Iudeorum reliquiae: in quo Prophetia de
Regno Antichristi impleri queat.

6.

Nec Mahometes Turcicus pro Antichristo, de
quo Apostolus Paulus concionatur, habendus est:
qui omnium miraculorum, prodigiorum & signos
rum se non indigere propterea dicit, quod sua Reli-
gio, Christi & Apostolorum miraculis confirmata
sit, quem tamen blasphemat, & in membris eius cru-
deliter persecuitur.

7.

Et nimis crassa sunt ad fallendos Christiani nomis-
nis studiosos, quibus Mahometes Ecclesiam Domini,
instar

ANTICHRISTO.

3.

instar gentilis atrocissimi persecutoris, non decipere, sed vastare conatus est: In cuius regno, seu potius barbarica Tyrannide, neque Scriptura Sacra, veteris aut noui Testamenti libri, neque Sacra menta, neque postestas clavium, neque Symbolum Apostolorum, neque oratio Dominica, neque Decalogus locum habent: Sed vera Religione prorsus neglecta & conculcata, pro libidine ipsius, in regno eius omnia geruntur.

8.

Antichristus vero, iuxta Apostoli vaticinium regnabit, & quidem non extra Ecclesiam Dei, sed in Templo Dei, ubi electorum numerus est quærendus: Cuius tanta erit Sanctitatis & Religionis species in oculos omnium incurrens: ut iuxta Prophetiam Christi, si fieri possit, etiam electi in errorem inducantur. Habentes inquit Apostolus speciem pietatis, sed veritatem eius abnegant. 2. Tim. 3.

9.

Neque vero illa specie in nos misellos Lutheranos, quos sic vocant, Prophetiam Apostoli de Antichristo torquere possunt: quos adeo omnibus prodigijs & miraculis destitutos vociferantur: ut ne claudum quidem canem sanare queamus.

10.

Quod equidem libenter fatemur, cum non aliam, quam Christi doctrinam afferamus: quæ stupendis eiusdem miraculis confirmata est.

A 3 II. Noua

D I S P U T A T I O N E

11.

Noua autem Antichristi doctrina, nouis prodigijs,
signis & miraculis indiget.

12.

Hic vero alius non est, quam Papatus Romanus,
in quo omnes concurrunt notæ, quibus Idolum abo-
minationis, Antichristum, posteritati cauendū, Chris-
tus & Apostoli descripsérunt.

13.

Etenim in Templo Dei sedet, hoc est regnat: &
populorum dominatur cōscientijs, qui & Scripturam
sacram, veteris & noui Testamenti libros, agnoscunt:
Baptismum, cœnam Dominicam, Absolutionem, Ca-
techismi partes omnes, Symbolum Apostolorum,
orationem Dominicam, Decalogum habent, & ap-
probant.

14.

Et hoc Regnum ipsius à summo capite, usq; ad in-
fimum membrum, suis legibus ita constitutum fuit:
vt (politia Mosaica excepta) vix Regnum in terris
fuerit, quod cum Regno Antichristi ordinis nomine
conferri queat.

15.

Quisquis enim vel ostiarium, vel infimum pleba-
num laesit: pupillam oculi Romani Pontificis tetigit:
cuius ordinis, tanquam nerui Regni Pontificij, obser-
vatio seuerissima, etiam Tyrannidem Antichristi con-
firmit.

16.

Ex quo intelligitur, Antichristi Regnum eos non
recte

recte intelligere qui quærunt: Num sub Papatu etiam Ecclesia fuerit, & an aliqui sub eodem saluati sunt?

17.

Etenim ipsius Antichristi sedes certo docet, sub Papatu, eiusq[ue] densissimis tenebris Ecclesiam, eamq[ue] se lectissimam, hoc est vere pios, fideles & electos fuissent, qui indubitate saluati sunt.

18.

Si enim in hoc cœtu electi non fuissent: Antichristi Regnum nullum esset, quem iuxta Christi & Apostoli vaticinum, in Templo Dei, hoc est, in medio veræ Ecclesiæ regnare oportuit.

19.

Tanta verò astutia usus est Antichristus, ut, licet thesaurum commemoratū, Scripturam sacram, Baptismum, cœnam Dominicam, Symbolum Apostolorum, orationem Dominicam, &c. Ecclesiæ concedere, adeoq[ue] commendare atq[ue] tueri videretur, constitutionibus tamen suis ita contaminauerit, & depravarit, ut multitudini eius constitutiones amplectenti, nihil prodesset.

20.

Finis enim doctrinæ Legis & Euangeli est, ut homines agnitis peccatis, in solius Christi merito, per solidam fidem applicato, remissionem peccatorum accipiant, & Deo gratias agant.

21.

Antichristus verò Romanus, totius Regni sui visus eò cōuertit: ut obscurato & obliterate, solius Christi merito, ad suorum operum merita, & eorundem fiduciam totus mundus produceretur.

22. Hinc

22.

Hinc factum est, quemadmodum Romani Pontificis persona, adeoq; omnis eiusdem Maiestas, personæ & humilitati Christi aduersatur: sic & doctrina Papæ cum doctrina Christi ex diametro pugnat.

23.

In cuius perversione se Christo non solum opposuit: sed supra illum exaltauit: nulla etiam sanctissimi Testamenti eius Religione motus, quod sacrilega auctorita mutauit, & Laicos calicis sacrati vñ, sub Anas thematis poena priuauit.

24.

Ad hoc regnum cùm propter claritatem nominis Christi non statim ascendere posset: per longas ambages, multorumq; seculorum decursum, subinde alijs atque alijs eius fundamentis iactis, sibi viam parauit.

25.

Et hoc est iniurias Mysterium, de quo D. Paulus loquitur, quod suo tempore iam cœpisse confirmat.

26.

Loquitur enim de horribili defectione, quæ uniuersam Ecclesiam Dei ita sit occupatura: ut & nomen Ecclesiæ retinentes veritatis hostes, adeoq; sibi soli afferentes, veram Dei Ecclesiam sint conculcaturi.

27.

Hanc defectionem miris modis in primitiua Ecclesia Antichristi Spiritus tentauit.

28. Etū

28.

Etsi vero ingens defectio a doctrina Christi est, qua Mahometes per suum Alcoranum a corpore vere Ecclesiae, infinitam propemodum multitudinem hominum auulsi;

29.

Qua ratione etiam suas partes sibi Mahometes in vaticinijs Paulini impletione, suo modo vendicat:

30.

Homo tamen scelerosus, & filius perditionis, qui ~~enim~~ est, de quo Apostolus loquitur, non in illo cœtu quærendus est, ubi vix ullum Religionis Christianæ vestigium relictum est.

31.

Sed in templo Dei, hoc est, in vera Dei Ecclesia, quæ est & manet Ecclesia & sponsa Christi, dominium suum exercebit: ubi integra in verbo Dei relicta omnia, opinionibus & Tyrannide ipsius contaminata & corrupta sunt,

32.

Fuit enim in Papatu vera Scriptura Sacra integra, & minimè corrupta, fuit Baptismus verus, coena Dominica vera, Absolutio vera, Symbolum verum, oratio Dominica vera, Decalogus verus, ideoque etiam vera & sancta Ecclesia: Tyrannide autem Rom. Pontificis, & Monachorum opinionibus, adeo oppressa omnia: ut non nisi ab electis cognosci, & ab humanis traditionibus secerni potuerint.

B 33. Nec



33.

Nec defuerūt veritatis defensores, qui singulistēm
poribus errores irrepentes taxarent.

34.

Sanctitatis præterea opinio & persuasio apud plæ-
rosq; tanta fuit: vt non modo scortationem & adulteria
detestari visus fuerit Antichristus: verū etiam à
licitis, hoc est, à coniugio prætextu virginitatis & cas-
titatis, sub celibatus administratione abstineret: & ab
eodem Sacerdotes, qui in Templo Dei vasa Domini
portarent, contra expressum Apostoli testimonium,
seuerissima & plus quam Cyclopica Tyrannide arces-
ret.

35.

Signa quoq; & prodigia accedebant tanta, quibus
suas traditiones omnes verbo Dei contrarias confir-
mavit: vt vniuersum propè orbem in stuporem con-
uerterit: cuius rei Lombardica Historia, Legēda Sans-
ctorum, sufficientissimus testis est.

36.

Quibus vel solis, expresso Dei verbo impietatis
conuicti Papistæ, suos cultus defendere conātur: quod
ipsorum opinione Deus talia fieri non permitturus
esset: nisi hic sanctorum cultus, adeoq; totum Pontifis-
cium Regnum ei probaretur.

37.

Ne autem hoc Regnum vlla ratione labefactare-
tur, sed diuturnum esset: caput impietatis ante omnia
constituendum existimauit Antichristi spiritus, cuius
authoritate, & nutu, omnia gerantur.

48. Occas

38.

Occasionem ergo arripiens, quod Roma caput orbis esset: eandem quoq; Regni sui Metropolim, & caput esse voluit.

39.

Cuius initia satis auspicata ei videbantur: quod in Conciliis Oecumenicis, auctoritate piorum Imperatorum coactis, prima sedes Romani Episcopi esset.

40.

Qua dignitate in primitiva Ecclesia, p̄ij Romani Episcopi, cum essent cōtenti: singulis Metropolitanis (quorum plena cuiq; in sua diocesi potestas erat) iura & priuilegia ipsorum non modo inuiolata relinquescant: sed occasione oblata, suis intercessionibus opera imperatorum, contra ambitiosa ingenia tuebantur.

41.

Sic Leo I. contra Anatoliū Constantinopolitani arrogantiā, opera Martiani Augusti, & Pulcheriæ Augustæ, dignitatem, iura & priuilegia Alexandrinæ & Antiochenæ sedis iuxta Nicæni concilij canones asserbat.

42.

Sic patres Concilij Nicæni Romano Episcopo, nō maiorem nec pleniores potestatem tribuebāt, quam Alexandrino, aut Antiocheno: quia & vrbis Romæ Episcopo, inquit concilij canon, parilis mos est.

43.

Postea cum ambitione excitatus Constantinopolitanus Episcopus, quod sedes imperij Romani Constantinopolim translata esset, se vniuersalem Patriarcham diceret: Gregorius Rom. Episcopus sese illi opponens, vocem illam tanquam scelestam, impiam, &

B 2 nefandam

nefandam, est abominatus. Quam etiam sibi ab Eulogio Alexandrino Episcopo scriptam recusat: In præfatione, inquit, epistolæ, quam ad me ipsum direxistis
Lib. 7. Epistola 30. superbae appellationis verbum, V N I V E R S A L E M
 ME P A P A M dicentes, imprimere curastis. Quod, peto, dulcissima mihi Sanctitas vestra ultra nō faciat. Quia vobis subtrahitur, quod alteri plus quam ratio exigit præbetur. Si enim vniuersalem Papam vestram Sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur vniuersum. Et quidem in sancta Synodo Chalcedonensi, atq; post à subsequentibus patribus, hoc decessoribus meis oblatum, vestra Sanctitas nouit: sed tamen nullus eorum vti hoc vñquam vocabulo voluit.

44.

Lib. 6. Epistola 194. Et quid sub eodem vocabulo lateret, & Satan quæ reret, non dissimulauit Gregorius, cum inquit: Ego autem fiderent dico, quia quisquis se vniuersalem Episcopum vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua A N T I C H R I S T U M præcurrat, quia superbiendo se coeteris præponit.

45.

Hanc notam Antichristi, Bonifacius 111. à Phoca accipiens, & ad posteros transmittens, Antichristi Regnum, vna cum titulo successoribus tribuit.

46.

Quo impetrato, & temporis successu confirmato, sibi Romani Pontifices potestatem in omnes Ecclesiæ arrogabant, quam nec à Christo, nec à Petro acceperunt.

47.

Hinc vox illa Antichristi propria: Vbi est maioris

tas

tas, illuc est præcipiendi potestas, ceteros manet obediendī necessitas: Papam esse superiorē concilijs: Papam errare nō posse: Papam vniuersalē esse Ecclesiarū omnium Episcopū, & summum in terris caput: Quod Papa sit Numen, quasi inuisibilem quendam Deum präse ferens: Quod Papa formam Sacramentorum ab Apostolis traditam possit immutare: Quod Papæ absolutè credendum sit: Quod contra Epistolas D. Pauli possit Papa statuere: Quod Papæ omnia liceant, &c.

48.

Et notum capitulum in Decreto Gratiani: Si Papa Gratianus suæ & fraternæ salutis negligens, deprehenditur inutilis & remissus in suis operibus, & insuper à bono tas-
citurnus, quod magis officit sibi & omnibus: Nihilominus innumerabiles populos cateruatim secum duicit, primo mancípio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturus: huius culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus: quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus, nisi depræhendatur à fide deuius, pro cuius perpetuo statu vniuersitas fidelium tanto instantius orat, quanto suam salutem post Deum ex illius incolumitate animaduertit propensiis pendere.

49.

Hac Romani Pontificis regnandi libidine confirma-
ta, Templū Dei, in quo sedit, hoc est, Ecclesia longè lateq; dispersa, solius Christi merito obscurato, in infinitis erroribus & Idolomania plus quam abominanda, est repleta.

50.

Et cum κακοζηλίᾳ Iudaica summi sacerdotis partes
B 3 in Ec-

in Ecclesia, sine omni Euangelica autoritate sibi sus
meret: ut alia omnia, sic præcipue Sacramentum Sane
ctiss. corporis & sanguinis Christi institutum, in Sas
crificium propitiatorium, pro peccatis viuorum &
mortuorum conuertit: quo maiorem hic terrarum ore
bis non vidit abominationem.

51.

Id ut imperito vulgo commendaret, iuxta Danielis
Prophetiam & Ioan. Apocalypsim, auro, argento,
Purpura, Bysslo, Margaritis & id genus speciosis rebus
ornauit.

52.

Quo cum se mortis Christi memoriam celebrare
profiteretur malignus Spiritus, homo peccati, & filius
perditionis: spectatores omnes, à fiducia solius mor
tis Christi ad priorum operum & meritorum fidu
ciam abduxit.

53.

Nec enim solius operis Christi meritum, sed opus
sacerdotis contra mortis Christi meritum sacrifican
tis, tanquam propitiatorium, pro peccatis viuorum &
mortuorum commendabatur.

54.

Hinc Missæ angulares institutæ, & in infinitum au
cta, adeoque peculiare genus sacerdotum, quod non
modo ad docendum Euangelium ineptum, sed quod
vix literas nouit, ad sacrificandum solum, pro viuis &
defunctis fuit consecratum.

55.

Hoc cultu confirmato ianua aperta est Diabolo, per
quam in Ecclesiam Dei omnis generis Idolomanias
& superstitiones inuexit: quibus contaminata sunt om
nia, quæ sua natura bona, Ecclesiae Dei propria erant.

56. In

56.

In quibus tamen semper ad decipiendos simplices,
Nomen Dei, sanctæ Trinitatis, Patris, Filii, Spiritus
sancti, Ecclesie, Baptismi, Sacramenti corporis & san-
guinis Christi, Inuocatio, Gratiarum actio, Glorifica-
cio nominis Diuini sonabant.

57.

Hinc sanctorum cultus, Inuocatio, & merita infinitis
tis propemodum, sed mendacibus miraculis confir-
mata: quorum tanta vanitas est: ut his ipsis & credulit-
atem & leuitatem hominum, etiam ipse Diabolus ri-
deret, sicut legenda Gangolphi habet.

58.

Quorum omnium, etsi Deus author non est: pro suo
tamen iustissimo iudicio fieri permisit, vt mundi in-
gratitudinem vindicaret. Eo enim quod charitatem
veritatis non receperunt, vt salvi fierent, ideo immisit
illis Deus (inquit Apostolus) efficaciam illusionis, vt
credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non cre-
diderunt veritati, sed approbauerunt iniustitiam.

59.

Hec ultima mundi calamitas astutia Satanæ procu-
rata, etsi humana potentia crevit: potentia tamen hu-
mària non destruetur.

60.

Cum enim thesauros mundi, cum vniuersis delitijs
carnis coniunctos, iuxta Prophetæ vaticinium, suis
cultoribus dispenset: semper habiturus est, usq; ad fin-
em seculi, qui eius Regnum stabiliant.

61.

Quia vero Tyrannidem in conscientias hominum
exercet:

exercet: quas sibi opinione Sanctitatis & falsa persuasione diuinæ authoritatis subiecit, & captiuas habet: non nisi Spiritu oris Domini occiditur.

62.

Id sit verbo Euangelij, per quod Christus Spiritu sancto suo efficax, Romano Pontifici Iaruam detrahit, qua se se in templo Dei vicarium Christi vendicavit: ut agnoscant omnes pij eum Antichristum, qui sub vexillo Christi, contra Christum, & eius vera membra pugnat.

63.

Apoc. 17. & 18. Etsi vero ante nouissimum diem iuxta Apocalypsim Meretrix circundata purpura & coccino, & in aurata auro & lapide precioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione & immunditia fornicationis eius, & in fronte eius nomen scriptum, Mysterium, Babylon magna, mater fornicationum & abominationum terræ, ebria de sanguine sanctorum, & de sanguine Martyrum Iesu, in interitum ibit, & denudabitur, & suis diuitiis destituetur: tamen iuxta Apostoli Prophetiam nouissimo suo aduentu Dominus penitus eam destruet.

64.

Cum igitur indubitate Rom. Pontifex sit Antichristus, ille aduersarius Dei, in lacum ignis ardentis & sulphuris mittendus: quotquot animas suas liberare volunt, a Charactere bestiæ huius sibi caueant & exstant ab ea, ne participes fiant delictorum eius, & de plagiis eius non accipient.

65.

Interim vero meminerint quoq; non omnia An-

christi

tichristi propria , ac propterea rei scienda esse, quibus
ad stabiliendum Regnum suum abusus est.

66.

Sic enim & Scriptura Sacra , Sacra menta , oratio
Dominica, Decalogus &c. adeoq; nomen Dei, Sacros
sanctæ Trinitatis abiisciendum esset, quod in Papatu,
ad omnis generis Idolomanias confirmandas impiè
profanauit.

67.

Huc pertinet etiam ordinis Ecclesiastici ratio, quo
neglecto vel perturbato, Ministerij verbi adeoq; vni
uersæ Religionis veræ contemptum sequi videmus.

68.

Etsi vero piorū Episcoporum authoritas sedulo con
seruanda est: pro arbitrio tamen in Ecclesia dominari
nemini permisum est.

69.

Sed ratione donorum, cum alijs alijs in munere Ec
clesiastico subiiciantur, nisi hæc authoritas Ecclesiæ
Ministris, sarta teatrap sit: non minus periculi ab
araxia illa & araxie metuendum est, quam in Tyrans
nide Pontificia Ecclesia experta est.

70.

Quemadmodum igitur Pontificis arrogantia &
Tyrannis merito damnatur, quod Magistratum gras
du suo deiecit, quo minus de Religione cognosceret:
sic Magistratus quoque damnanda est temeritas, qui
Ecclesia Ministros, ita sibi subiicit, vt omni autoritas
te eos exuat, & quæ Ecclesiastici sunt muneris ad se

C rapiat,

rapiat, atq; Ecclesiæ Ministros, in causis Ecclesiasticis, & ad ministros spectantibus iudicio & cognitione omni excludat.

71.

Quod fieri videntur, ubi Magistratus odio Episcopalis nominis, contra Ecclesiæ consuetudinem pro arbitrio in Ecclesia disponunt, de Ministris iudicant, & sine cognitione legitima, qua Theologi prorsus spoliantur, eosdem nunc abiiciunt, nunc recipiunt.

72.

Media autem, Deoq; gratissima via est, qua summus iudex & summus sacerdos, hoc est, cuiuscq; loci Magistratus (qui loco seniorum Ecclesiæ censemur, quos primitiua Ecclesia, publicæ disciplinæ custodes habuit) & Ecclesiæ Episcopi atq; adiuncti, suas operas in Ecclesiasticis negotijs coniungunt: ut reliqui Ecclesiæ Ministri in officio contineantur: puritas doctrinæ & disciplina publica conseruetur: Ecclesiastica bona non profanentur: sed ad cultum Dei, Ministrorum Ecclesiæ, Scholarum, pauperum sustentationem, & publicos, legitimos, ac necessarios vius conferantur.

73.

Episcopum autem intelligimus, non Ro. Pontificis seu Antichristi creaturam, Mitratum & Iaruatum: sed virum pium, eruditum, & reliquis virtutibus ad Ecclesiæ administrationem necessarijs ornatum, cuiusq; prouincia aut celebrioris urbis primarium Ecclesiæ Ministrum: quales in primitiua Ecclesia fuisse historia Ecclesiastica, & Sacra Oecumenica concilia docent.

74. Sic

74.

Sic enim Magistratus modum & officij sui limites
non excedens, à crimen^e ἀλογίας πιστοποίας, & quæ hoc
continentur, sepe purgabit: & à suspitione affectati dos-
minij Ecclesiae Ministri penitus liberabuntur: cum il-

li propter admonitiones & inspectiones Episco-
porum Ecclesiae bona minimè profanare,
hi vero præsentis Magistratus au-
thoritate, in officio retenti,
pro arbitrio nihil ita-
tuere audes-
bunt.

F I N I S.



